

micam, sufficit producere quodcumque ens creabile, si quidem super omnem rationem entis habet activitatem.

CCCXXIX. Tum denique, quia actio cum potentialitate procedens, non est se tota activa, quia qua parte dicit potentialitatem, activitatem non habet; ergo non potest effectus se toto ab illa fieri, sed secundum aliquid non fit ab illa, et sic non creatur, quia in creatione effectus se toto, et secundum omnem rationem entis fit. Quando autem actio se tota non est productiva, neque se toto effectus productus illi correspondet, quæ est ratio D. Thomæ III de potentia, art. IV. Sic ergo dicendum, quod licet in instrumento ex parte modi agendi non supponatur aliquid, quod fiat ante effectum principalis agentis, supponitur tamen modus operandi instrumenti, qui omnino repugnat modo operandi actionis creativæ.

NON DATUR ACTIO MEDIA INTER CREATIONEM ET EDUCATIONEM GRATIÆ; ET QUOMODO GRATIA CONTINEATUR IN POTENTIA PASSIVA ANIMÆ.

CCCXXX. Quarto objicies: Gratia non educitur neque de potentia naturali animæ, neque de obedientiali; ergo non producitur actione eductiva, et cum immutatione alicujus subjecti, sed creativa. Consequentia patet, quia omnis actio vel eductiva est, vel creativa. Antecedens autem quoad primam partem (scilicet, quod non educatur de potentia naturali) apud omnes constat, cum gratia non sit forma naturalis.

CCCXXXI. Quoad secundam partem (scilicet, quod non educatur de potentia obedientiali) probatur, quia si educeretur de potentia obedien-

tiali animæ, esset naturalis proportio inter animam et gratiam ex natura rei, quod est omnino falsum: alias appetitu naturali ferretur anima in ipsam gratiam, utpote in formam, cum qua naturalem habet proportionem.

CCCXXXII. Sequela probatur, nam potentia obedientialis animæ, est ipsa entitas animæ, et ipsa natura ejus cum respectu ad agens supernaturale; si ergo educitur gratia ex potentia obedientiali animæ, educitur ex ipsa entitate et natura animæ per agens supernaturale; ergo potentialiter præhabetur in entitate animæ; et sic est proportio inter naturam et entitatem animæ cum ipsa gratia; nam inter subjectum, ex quo forma educitur, et ipsam formam proportio est; et sic inter entitatem animæ et gratiam erit proportio, ut educatur ex illa.

CCCXXXIII. Confirmatur: Ad educationem formæ ex subjecto non sufficit quod producat forma ut pendens in fieri et conservari a subjecto; hoc enim potius est recipi in subjecto, quam educi; alias si quantitas separata in eucharistia iterum uniretur dependens a subjecto, in quo antea fuit, diceretur educi ex illo; ergo ultra hoc requiritur ad educationem, quod forma educenda sit in potentialitate subjecti, a quo educitur, et contineatur intra potentialitatem ejus, ut actus talis potentia, ut sic, quando producitur extra talem potentialitatem ducatur, quod est educi; gratia autem non continetur intra potentialitatem alicujus subjecti, cum sit alterius ordinis ab omni subjecto, et ab omni potentialitate, ergo non potest educi.

CCCXXXIV. Respondetur Cabreram II tom. III p. quæst. XIII, art. II, disp. I, §. III, in ea opinione esse, ut censeat actionem productivam gratiæ, neque esse creativam (quia

non est productio rei subsistentis) neque eductivam, quia non supponit subjectum, in quo contineatur, ut ex eo educatur, neque datur in productione illius concursus causæ materialis ad eam producendam; sed produci actione quadam media infusiva, qua scilicet producitur a Deo aliquid, uniendo illud subjecto, in quo non præhabetur, sicut si produceret hominem cum qualitate cœlesti, aut cœlum cum qualitate elementalibus. Potest juvari illo exemplo, quando Deus accidens per se extra subjectum positum uniret iterum subjecto. Sic enim se habet Deus, quod quasi producit gratiam quoad entitatem, et unit illam subjecto, in quo non præhabetur, et ita infundit, non educit illam.

CCCXXXV. Cæterum actio hæc infusa, distincta ab eductiva et creativa, admittenda non est; nam infusio illa in subjectum, vel est productio ipsius gratiæ, quæ infunditur cum dependentia a subjecto in esse, vel est solum unio rei in se habentis esse, aut alias productæ; hoc secundum dici non potest, cum gratia neque sit forma subsistens, neque producat non unita, et non inhærens animæ; ubi enim fit talis productio gratiæ? Si primum dicatur, ergo illa infusio est eductio; nam si illa forma producitur cum dependentia in esse a subjecto; ergo cum concursu causæ subjectivæ, seu materialis ad ipsam, quia ubi forma producitur pendens a subjecto, causatur materialiter a subjecto; quia ratione dependentiæ sequitur ad ipsum; omne autem quod producitur cum dependentia a causa materiali, producitur eductive, seu educitur ex ejus potentia, quia sicut quod solum pendet ab efficiente educitur in actum ab ipso, ita quod pendet ab efficiente et materiali, educitur extra potentialitatem utriusque.

CCCXXXVI. Neque ad hoc requi-

ritur major latitatio in materia, quam effectus lateat in causa efficiente; neque enim intelligitur ibi esse actu aliquo (etiam inchoativo et imperfecto) sed solum potentia, quia videlicet in subjecto est aliqua potentia, a qua pendere potest materialiter quoad suum esse; sicut latet in efficiente, quia pendere potest a potentia illius active quoad suum esse.

CCCXXXVII. Præterea, actus supernaturales fiunt per actionem eductivam, ut quando eliciuntur ab intellectu actus visionis beatificæ, et a voluntate actus charitatis; ergo non repugnat formam supernaturalem educi e subjecto.

CCCXXXVIII. Et hinc respondetur ad argumentum negando antecedens pro secunda parte. Ad probationem negatur sequela; ad cujus probationem respondetur, quod potentia obedientialis animæ non est aliqua entitas positiva superaddita animæ, aut alii creaturæ, aut inclinatio aliqua (saltem inchoata) ad formam supernaturalem, ut aliqui dixerunt; sed est ipsa entitas creaturæ, ut non repugnans agenti infinito, ad omne quod voluerit de creatura efficere; et ita gratia quando educitur de potentia obedientiali animæ, educitur ex ipsa entitate animæ, non secundum ordinem et inclinationem naturalem, sed secundum obedientialem. Sicut enim gratia ab entitate animæ pendet in esse, quia illi unitur; ita et ab entitate animæ educitur materialiter, non secundum inclinationem et ordinem naturalem, quia sic non pendet ab illa; sicut etiam forma artificiosa non est naturalis materiæ, seu ligno; et tamen quia lignum natum est obedire artifici, educit ex illo formam artificiosam, quatenus illam efficit dependenter a concursu materiali ligni.

CCCXXXIX. Sic agens infinitum,

ex eo quod ei obedit creatura, educit ab illa formam, ad quam non habet naturalem habitudinem et proportionem, quia facit talem formam cum dependentia materiali a creatura, et ita continetur in entitate creaturæ, non absolute, nec secundum ordinem propriæ naturæ, sed secundum obedientialem rationem, quam respicit agens alterius ordinis, ut materiam ejus, cum qua concurrat. Continentia enim alicujus formæ in materia, non est accipienda secundum inclusionem formæ actualis in illa, sed secundum potentialitatem ad illam. Unde non præscindit in continendo formas ab ordine ad agens, a quo possunt educi tales formæ active, sicut ab ipso subjecto materialiter; et hoc modo præhabetur forma illa in materia (scilicet obedientialiter et per respectum ad agens infinitum) non absolute, et hoc modo est proportio inter formam et subjectum; nempe obedientialis, et non absoluta, et naturalis.

CCCXL. Ad confirmationem respondetur, negando antecedens, nam si pendet forma in fieri et conservari ab aliqua causa, quando ponitur in actu educitur ab illa, quia in potentialitate ejus continebatur, et secundum genus causalitatis suæ in actum ab ea reducitur, per hoc quod pendet ab illa in fieri et conservari. Unde non est simile de unione accidentis separati ad subjectum; non enim tunc pendet a subjecto ex vi illius unionis in fieri, sed in conservari; quare non requiritur ultra hanc dependentiam latitatio formarum in materia; neque enim actu ibi latent, sed potentia, eo quod possint ab ea poni in actu secundum materialem concursum; sicut latent in causa efficienti, et inde exeunt, quia possunt ab ea efficienter poni extra secundum efficientem concursum.

CCCXLI. Ex quo patet, male inferre Cabreram, quod formæ intentionales, ut lux et species non educuntur de subjecto (verbi gratia, ex diaphano) quia in ejus potentia non continentur, sed a sole, verbi gratia, effunditur lux in diaphanum, quod simili modo posset dicere de formis artificialibus, quod ab artifice infundantur subjecto; et similiter non inveniretur inconveniens, quod calor infunderetur ab igne per medium. Quid enim amplius aliæ formæ habent? Aut quid minus pendet a subjecto, ut ab eo educi non dicantur?

CCCXLII. Sed instat Cabrera III tom. quæst. LXII, art. I, disput. III, §. XIV: Nam potentia quam habet anima ad gratiam non se habet ut potentia, ex qua fiat gratia, sed ut potentia, in qua suscipiatur gratia; ergo non potest ex anima educi gratia. Consequentia patet, quia ideo anima rationalis non educitur ex materia, ad ejus productionem in fieri et in esse, quia non pendet ab illa, ut ex qua recipiat tale esse, sed ut in qua recipiatur; ergo similiter si gratia solum pendet ab anima, ut a potentia in qua, non ex qua fiat, non educitur ex illa. Antecedens autem probatur, quia esse gratiæ et fieri gratiæ transcendit omnem rationem et entitatem in creatura inventam; ergo ex nulla entitate aut ratione creaturæ fieri potest, licet in illa recipi possit. Unde cum in nulla entitate et ratione animæ contineatur gratia, consequenter non se habet ut potentia, ex qua educatur, sed in qua recipiatur.

CCCXLIII. Quod si respondeatur, animam secundum potentiam obedientialem continere virtualiter gratiam, et ex illa educi, contra arguitur: Quia potentia obedientialis secundum suam intrinsecam entitatem, est ipsa naturalis animæ essentia; et ita si a potentia obedien-

tiali educit Deus gratiam, ex naturali animæ essentia educeretur, et in ea contineretur, quod repugnat; sic enim non esset gratia aliquid transcendens ordinem animæ, si intra ejus naturalem entitatem potentialiter continetur, quantumcumque obedientialiter dicatur in illa contineri, quia ly obedientialiter, super entitatem addit novum respectum ad agens supernaturale.

CCCXLIV. Respondetur negando antecedens. Ad probationem, concessio antecedente, distinguitur consequens; ex nulla entitate creaturæ realiter et formaliter accepta, potest fieri gratia, concedo; obedientialiter, nego; nam ut aliqua creatura dicat non solum potentiam in qua, ad aliquam formam, sed etiam potentiam ex qua, sufficit quod concurrat ad productionem illius formæ, ut causa a qua dependeat in fieri et in esse; si enim in suo esse pendet a tali subjecto, non solum est in illo, sed etiam ex illo, si quidem ex illo in genere causæ materialis esse habet. Cum ergo secundum potentiam obedientialem natura animæ det esse gratiæ, ut subjectum, ex illa entitate secundum potentiam obedientialem educitur gratia, ut a causa materiali; sicut enim educitur a causa efficiente, quia ab illa habet esse, sic et ex causa materiali, quia ab illa pendet in esse; et hoc modo dicitur contineri obedientialiter in anima, quia potest pendere ab illa in esse secundum causalitatem materialem; in quo differt ab anima rationali, quia licet fiat in materia, non tamen pendet in esse a materia, etiam secundum genus causæ materialis; sed in se habet esse per creationem, et illud communicat materiæ ac supposito; at vero gratia, sicut quodlibet accidens, pendet a subjecto in esse, et sic educitur ex illa.

CCCXLV. Ad replicam respondetur, quod potentia obedientialis entitative non distinguitur a natura et essentia creaturæ, distinguitur tamen secundum ordinem et habitudinem, quia entitas animæ non continet in se gratiam secundum quamcumque rationem et inclinationem, sed secundum quod respicit agens infinitum; et sub hac ratione non est inconveniens, quod contineat in se quamcumque formam, etiam transcendentem ordinem naturæ, quia omnis potentia passiva continet formas et actus, secundum ordinem quem habet ad potentiam activam. Non enim antecedenter ad agens continet in se formam, sed tantum, et tales continet, quantum potest agens extrahere ab illa, et in illa efficere. Unde potentia passiva respectu agentis infiniti, continet plures formas, quam respectu agentis creati; sicut res naturalis non continet easdem formas respectu agentis naturalis, et respectu artificialis; et sic ea quæ continentur in natura animæ secundum potentiam obedientialem, transcendunt ipsam naturam animæ secundum se, et omnia quæ continentur in illa secundum potentiam naturalem.

CCCXLVI. Secundo dicitur, quod gratia potest dupliciter considerari; uno modo in ratione accidentis et qualitatis, secundum quod est aliquid creatum; alio modo secundum formalem rationem gratiæ, in quo transcendit omne ens creatum, et etiam seipsam in quantum est accidens creatum, et solum respicit Deum, ut est actus purus, et in eo quo excedit omnem creaturam. Si ergo consideretur gratia primo modo, educibilis est de potentia animæ, quia pro ea parte, qua est quid creatum, non implicat ex creatura educi, quia pro hac parte illi proportionatur in ratione creaturæ;

secundo autem modo excedit ipsam animam excessu analogico, sicut Deus excedit creaturam; et secundum eam rationem, sicut non dependet ab anima, sed a Deo, ita neque educitur ab anima, sed exit a Deo. Quia tamen entitas gratiæ quid creatum est, et accidens inhærens entitative, est educibilis; esto in ratione formali gratiæ transcendat omnem capacitatem animæ; et licet eadem sit gratia quantum ad entitatem, et quantum ad rationem gratiæ, est tamen diversa consideratio secundum quod respicit subjectum, aut secundum quod respicit Deum; sicut alia est consideratio relationis secundum in, et secundum ad.

AN VIRTUS INSTRUMENTALIS CORPORALIS SIT, VEL SPIRITUALIS?

CCCXLVII. Quinto objicies: Res corporea solum potest recipere accidens et virtutem corpoream; ergo quantumcumque agens principale ei velit communicare virtutem, solum poterit communicare virtutem corpoream: hoc autem non potest attingere rem spiritualem, quia actio identificatur cum termino; virtus autem per modum motionis, actio est superioris agentis; ergo ut attingat rem spiritualem, debet esse actio et motio spiritualis.

CCCXLVIII. Confirmatur, quia omne agens corporeum requirit contactum circa passum, ut operetur in illud; sacramentum autem corporeum, et instrumentum Dei non attingit passum; ergo non potest agere etiam instrumentaliter circa illud. Minor patet, tum in igne inferni torquente dæmones, qui sunt in aere; tum in actu interiori, aut locutione, quando in rem distantem operatur, ut in sacramento matrimonii, aut etiam penitentiae: ergo

tale instrumentum tunc non est elevabile.

CCCXLIX. Respondetur, quod de hac virtute impressa instrumento latius dicetur dubio sequenti; interim tamen respondetur solutione D. Thomæ in hac quæstione, art. iv ad primum, quod in re corporea non potest esse virtus spiritualis per modum virtutis permanentis et completæ, bene tamen instrumentaliter et per modum transeuntis; ubi per ly permanentis et transeuntis, non intelligitur parum vel multum durans in subjecto; nam neque etiam per instans potest intellectus inhære lapidi, aut quantitas Angelo; sed intelligitur per ly transeuntis et permanentis, virtus seu motio habens esse perfecte aut imperfecte, per modum tendentiæ aut per modum termini, per modum intentionalis aut realis immutationis.

CCCL. Ratio enim, quare repugnat spiritualem entitatem inhære corpori est, quia per inhærentiam accidens participat esse a subjecto, quod qualitas spiritualis habere non potest a subjecto corporeo; alias existeret res spiritualis per esse corporale; motio autem spiritualis, qua instrumentum movetur a principali agente, sicut non habet rationem spiritualitatis perfecte, et ut forma, ita neque habet esse spirituale perfecte; sed se habet ut via ad esse spirituale, et ad entitatem spiritualem; et ita non repugnat quod recipiatur in corpore, et habeat esse incomplete corporeum, quatenus per illam corpus manet elevatum. Unde dicit D. Thomas quæst. xxvii de veritate, art. iv ad quintum: « Virtus illa communicata instrumentis corporeis, neque potest dici corporea, neque incorporea proprie loquendo, quia corporeum et incorporeum sunt differentiae entis completi, sed proprie

dicatur virtus ad incorporeum; sicut motus magis dicitur ad ens, quam ens. »

CCCLI. Ex quibus colligitur, quod licet corpus non possit dare esse virtuti, quæ proprie est incorporea; virtuti tamen quæ non est proprie corporea neque incorporea, sed est virtus ad incorporeum, et reductive solum est incorporea, bene potest dare esse, non tamquam enti aut formæ, sed tamquam motui, et cuidam postprædicamento ordinato ad rem spiritualem.

CCCLII. Neque ob hoc similiter motus physicus potest esse in re spirituali, quia motus physicus entitative non distinguitur a suo termino; unde non potest esse nisi in subjecto sui termini, quia motus caloris, verbi gratia, est calor in fieri; et ita talis motus non potest poni in Angelo.

CCCLIII. Item, quia motus physicus non potest subordinare sibi virtutem Angeli, ut sit Angelus ejus instrumentum, quia inferius nequit subdere sibi superius, neque invenit in eo capacitatem, quæ tantum potest esse modo quantitativo et extenso.

CCCLIV. At vero motio instrumentalis, est communicatio quædam virtutis principalis agentis, per modum motus, ipsi instrumento, ut actio ejus habeat pro termino aliquem effectum supra se, et ut habeat effectum extra ipsum instrumentum; unde talis motio communicari potest rei corporeæ, utpote quæ non sit plene res spiritualis, cum non pertineat ad prædicamentum spiritualis entitatis, quin communicetur ipse effectus ejus, qui est extra instrumentum, nec virtus principalis agentis, quæ est in Deo. Unde non videtur quod illa motio sit entitative corporea, et virtualiter spiritualis; tum, quia difficultas eadem est, quid sit illud virtualiter

esse spiritualem, nam si est aliquid corporeum, nequit attingere spiritualem effectum; si autem est aliquid spirituale, quomodo est in illa entitate corporea?

CCCLV. Tum, quia si entitas illa est corporea, non solum per modum transeuntis, sed etiam per modum permanentis esset in instrumento corporeo, neque indigeret D. Thomæ distinguere, et explicare quomodo in subjecto corporeo sit. Si enim entitative corporeum est, ut quid D. Thomas dicit, quod virtus illa spiritualis potest esse per modum transeuntis in corpore, non per modum permanentis, ad quid etiam dicit, quæst. lxxii, art. iv ad secundum, quod illa virtus instrumentalis non est in genere, sicut motus, si entitative formaliter est quid corporeum? Si tamen dicatur entitative esse corporea, dicendum est, quod intentionaliter est spiritualis; sicut species impressa intentionaliter est substantia, et entitative accidens.

CCCLVI. Ad confirmationem respondeo dupliciter. Primo, quod ad agendum sufficit contactus virtualis, et non requiritur quantitativus et formalis, sicut sol tangit aurum intra terram; sic per motionem illam potest instrumentum attingere spiritum, quia virtus principalis est illi indistans, licet instrumentum non sit indistans: secundo dicitur, quod contactus agentis ad patiens est conditio quædam extrinseca, quam Deum potest supplere; et ideo sine illa potest agere agens corporeum, sicut sine applicatione ignis potest comburere.